

Ratam & nos hanc habemus distinctionem, & quatenus *Ποσι-  
στοορτα*, *rubefacientia*, *sinapismus* & *phænigmos* comprehendunt, im-  
propriò titulò gaudere dicimus: contra *strictè* ita appellata ea tan-  
tùm volumus, quorum calore cutis uritur & in eâdem vesicula ex-  
citatur, in quâ rarefacti humores collecti postea deprehenduntur.  
Hinc & vernaculâ linguâ exprimitur quàm apprimè *das Bla-  
senziehen*. *Latinis* vesicans vel vesicatorium.

## CAPUT II

### definitionem realem explicat.

**H**isce prælibatis accessum facimus ad realem definitionem,  
quam ponimus talem:

**VESICATORIUM** est remedium externum cutis superficiem  
vi caloris potentialis, mediante vesicâ exulcerans, pro elicien-  
dis vitiosis humoribus.

Remedium esse, illudquæ medico-chirurgicum, in proapatulò  
est; imò tale, quod longè præsentius tutiusquæ cauteriò ipsò de-  
prædicatur à *Joh. Riolano lib. 1. meth. med. part. sect. 1. de morb. cerebri*.  
Et salutare quidem auxilium dicendum est, quod necessitas expres-  
sit & ars invenit, quò contumacia materiæ infringitur, monente  
*Heurniò meth. ad prax. lib. 3. c. 11.*

*Externum* dicitur; exterius enim pro arbitriò artificis, ad  
normam indicationum applicatur, eapropter inter *topica* referen-  
dum esse commodè, autor est *Andr. Laurentius in Guidonis tract.*  
*de morb. artic.* Ita applicatum corpori dolenti medetur, eidemquæ  
salutares locat operas. Eò ipsò etiam ab aliis distinguitur, quæ  
intra corpus assumi possunt.

Superficialem cutis exulcerationem quod spectat, eâ ipsâ  
non solum *ratio formalis* explanatur, sed etiam distinctio institui-  
tur ab aliis ulcusculis, in cute prorumpentibus originemquæ suam  
in corpore à vitiosis humoribus trahentibus. Notandum igitur  
est, vocem *exulcerationis* latissimè hîc patere; siquidem non ut alia  
ulcera sese habet artificialis hæc exulceratio, quæ ab externò de-